

*De Enunciationibus. Compositis.* 343  
quibus certi generis, nempe ex aliis enunciationibus.

4. In definitione hoc ipsum exprimitur, quod scilicet composita enuntiatio non quocunque modo constet ex aliis, sed quod ea, ex quibus componitur, sint certi generis, nempe ex genere enunciationum, adeoque composita ex aliis enunciationibus constet.

5. Not. 1. Cum dicitur, compositam enunciationem constare ex aliis enunciationibus, significatur, hoc fieri conjunctione aliquâ, quare non videtur opus esse, ut hoc exprimat in definitione, quia plures enunciationes ad compositam constituendam concurrere, non possunt, nisi beneficio alicujus conjunctionis. Illa igitur verba: constare ex aliis enunciationibus, virtualiter videntur involvere hoc, quod enunciationes illæ per conjunctionem aliquam debeant esse connexæ.

6. Not. 2. Cum composita enuntiatio constare dicitur ex aliis enunciationibus, non exprimendū est, quales hæ sint, an simplices, an compositæ; enuntiatio enim cōposita abstrahit à compositione ex simplicibus & compositis enunciationibus, & interdum ex simplicibus interdum etiam ex compositis constat. Male igitur à Petr. Hisp. *tr. i. sum.* propositio composita definitur tantum per Categoricalas, cum ex aliis etiam compositis constare possit composita, ut copulative ex conditionalibus.

Y 4

7. Not.